



*D. M. St.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*I. C. 223.*

SIGNAT. MDLXCCXIII.





5  
POSITIONES  
DE PROPRIETA-  
TIBVS DVARVM NATV-

RARVM IN CHRISTO FILIO DEI

& Mariae virginis: & de commu-  
nicatione idiomatum.

Nicolaus Selneccerus:

M. D. LXVI.



Clariss. V. D. M.  
Sebastianus Theodorica  
Vinspino: dno,  
in compendi 5.  
calculo.

25.



POMITTONES

DE PER OPERIE TA

LIBRIS QVARNVNTV

RAVA M IN CHRISTO FIDIO DEE

et Mariae virginis: et de communis

mentibus rationatam.

Nicolaus Schenckius

M. D. LXXI.

Basileae

Clavis. v. d. n.

et de communis

mentibus: et de

rationatam.

et de communis

u  
v  
d  
e  
u  
m  
i  
m  
a  
n  
e  
y  
c  
t





# VARIVS MODVS

## LOQVENDI IN SCRIPTVRA

*de Filio Dei* τὸ θεοῦ γέννησις.



*Vinq; potiss. modi loquendi*

in scripturis de secūda per-

sona diuinitatis inueniun-

tur. Primus est simplex siue

naturarum, quo naturæ di-

uinæ tribuuntur quæ ei soli conueniunt,

vt: Filius Dei est, per quem secula sunt con-

ditata. Et humanæ naturæ tribuuntur, quæ

eam solam attingunt, vt: Filius Mariæ cre-

uit sapientia, & gratia coram Deo & ho-

minibus &c: Secundus modus est personæ

in concreto per communicationem idio-

matum, in qua proprietates vnius naturæ

alteri naturæ communicantur propter v-

nionem hypostaticam, vt: Filius Mariæ

est omnipotens, creator omnium, καὶ ἡ

γενεσις. vbiq; Deus ē natus, tristatus, passus,

crucifixus, mortuus. Verbum est caro fa-

ctum. Deus est homo. Deus acquisiuit sibi

A 2

ecclesiam



ecclesiam suo sanguine &c: Tertius modus est synecdochicus, cum humanitati attribuitur, quod est totius personæ, vt, Semen mulieris conculcauit caput serpentis. Et diuinitati tribuitur, quod similiter est totius personæ, vt Jerem. 33. Hoc est nomen, quo vocabunt eum, DOMINVS iustificator noster. Quartus modus est prædicatorum, quæ conueniunt vtriq; naturæ, etiam in abstracto, vt, Christus viuit in cælo. Quintus modus est officiorum, quæ ita tribuuntur personæ, vt per se & seorsim nec diuinæ nec humanæ naturæ, sed toti personæ, quæ est Deus & homo, conueniant, vt sunt opera redemptiōis, remittere peccata, redimere à morte, iustificare, mediatorem esse, saluare credentes &c.

De priorib. duob. modis, de quib. hodie non sine magno periculo & vulnere ecclesiæ, multæ quæstiones nimis scrupulosæ mouentur, paucas positiones adiiciemus, quas amanti bus veritatis & pietatis, non fore inutiles iudicamus.

Positiones



# POSITIONES DE PROPRIETA- TATIBVS DVARVM NATA-

*turarum in Christo & de communi-  
catione idiomatum.*

I.



*Christus est verus Deus,  
& verus Homo insepara-  
bili & personali vnione du-  
arum naturarum, diuine,  
quæ est ab æterno, & hu-  
mane, quam ipse certo tempore ex Maria  
virgine assumpsit.*

II.

*Hæc personalis vnio facta est sine con-  
fusione naturarum, & sine diuulsione per-  
sonæ integræ, quæ Deus & homo est, iux-  
ta Dictum: Verbum caro factum est.*

III.

A 3

Vna



### III.

Vna est igitur natura assumens, & altera assumpta, & tamen est & manet vna persona, vnus Deus, & homo, siue vnus Christus, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: & vnus, non confusione naturarum, sed vnitae personae.

### IIII.

Vtraque autem natura suas substantiales proprietates saluas retinet, quia naturae non sunt confundendae.

### V.

Natura diuina in Christo est aeterna, omnipotens, omnia creauit, omnia conseruat, vbiq; praesens, scrutatur corda, est ἀπείρητος ἀθάνατος ἀφθαρτος καὶ ἀπαθής. Natura verò humana non est aeterna, sed certo tempore assumpta, ac, si per se in abstracto ratione aliqua considerari potest, quae scilicet & qualis natura ex Maria virgine assum-

ta



ta est, omnipotens dici non potest, nec ei  
reliquæ proprietates, quæ solius diuinitatis  
sunt, in abstracto propriè conueniunt.

VI.

Conueniunt autem humanæ naturæ,  
qualis etiam nostra est, iuxta Historiam  
& Veritatem Verbi diuini, quædam per se  
ante glorificationem, vt certo tempore nas-  
ci & esse *περὶ ἰσχυρῶν*, esurire, sitire, vesti-  
ri, edere, bibere, dormire, moueri, & similia:  
quædam vero ratione nostræ corruptæ na-  
turæ, siue peccati, (pro quo Christus  
*ὁ ἄμωμος καὶ ἄσπιλος ἁμῶν* satisfacere voluit)  
vt, tristitia affici, flere, ligari, pati, cruci-  
figi, mori: quædam deniq; conueniunt ei  
post glorificationem, vt viuere in eter-  
num, non indigere alimentis, qualia iam  
fames & sitis requirunt, non amplius ob-  
noxium esse passionibus, aut morti, semper  
esse cum Deo visibiliter, & habere corpus  
A 4 Spirituale,



irituale , quod ad nutum & ductum  
spiritus uiuit;

## VII.

Hoc discrimen duarum naturarum in  
vna persona, in nouo testamento saepe osten-  
ditur, vt cum filius Dei ipse inquit. Ego  
& pater vnum sumus (hic enim de sua æ-  
terna diuinitate loquitur) Item Secula per  
eum condita sunt. At cum dormit, esurit,  
sitit, & crescit sapientia & gratia coram  
Deo & hominibus, & quædam ignorare  
dicitur, Marci 13. item cum tristatur, pa-  
titur, crucifigitur, & moritur, certe huma-  
næ naturæ proprietates designantur. Et  
Paulus inquit 1. Cor 11: Caput Christi est  
Deus.

## VIII.

Ex his facile constat, non posse dici in  
abstracto, naturam diuinam esse huma-  
nam, aut diuinitatem dormire, pati, mori,  
clauis



clavis transfigi: aut humanam naturam esse  
se æternam, aut omnipotentem in abstracto,  
& omnipresentem, quia nature &  
sunt & manent distinctæ.

**IX.**

Sciendum autem & hoc est, longe esse  
aliud, loqui de humana natura nude per se  
& in abstracto, vt cum de nobis aut potius  
de primis parentibus, quales fuerunt ante  
lapsum, loquimur, & aliud esse loqui de hu-  
mana natura in Christo, quæ etsi non est  
alia aut diuersa à natura primorum paren-  
tum ante lapsum, & etiam omnium homi-  
num, nisi quod est <sup>αυ αμα γλωσ</sup>: tamen cum sit  
assumta à diuina natura Christi, cui vnita  
est, ita, vt vnã cum ea personam consti-  
tuat, longè ex cedit dignitatem, potentiam  
& excellentiam omnium creaturarum, &  
est in diuino & omnipotenti subiecto.

**X.**

**A 5**

**Maiori**



X.

Maiori ergo reuerentia & animorum  
humilitate & subiectione de humana natu-  
ra in Christo cogitandum & loquendum  
nobis est, quàm cum de natura omnium ho-  
minum etiam integra & incontaminata lo-  
quimur, quia nullius creaturæ, nec homi-  
num nec Angelorum, tanta est maiestas,  
dignitas & potentia, quanta est humane  
naturæ assumptæ à diuina in Christo.

XI.

Non autem propterea tolluntur proprie-  
tates vtriusq; naturæ, sed cum duæ sint na-  
turæ in Christo, diuina & humana, vtraq;  
natura habet suas substantiales propieta-  
tes, & humana natura non est absorpta à  
diuina, nec est diffusa ita in totum vniuer-  
sum, vt iam non amplius sint verè duæ  
naturæ, sed tantum sit vna natura, vt Eu-  
tyches ante annos IIII. ex duabus naturis  
quiddam vnum esse factum, contendit.

XII



## XII.

Necessario autem & utiliter quaeritur, an naturæ & harum proprietates, hoc modo, quo breuiter iam ostensum est, tantum in abstracto considerentur, & hic tanquam ad limitem certum nobis in hac <sup>ἰδιότητι</sup> ut Cyrillus loquitur, consistendum sit, an verò fiat communicatio proprietatum & <sup>κοινωνία</sup>, & quomodo fiat.

## XIII.

Cum enim scriptum sit: Verbum caro factum est, & Deus acquisiuit sibi ecclesiam suo sanguine. Acto. 20, Deus filium suum tradidit pro nobis, Roma. 8, Dominum gloriæ crucifixerunt, 1. Cor. 2. Filius hominis est filius Dei viui, Math 16. Si videritis filium hominis ascendentē, vbi prius erat, Iohan. 6. Priusquam Abraham nasceretur, ego sum, Iohan. 8. Secundus homo de cælo 1. Cor. 15. manifestè communica-  
tio



tioproprietatum ostenditur, quæ nequaquam est exæquatio naturarum, nec etiam est tantum relatio quædam idiomatum, ut Nestorius voluit, (qualis est passionum Pauli, quas Paulus vocat passiones Christi, Colos. 10.) nec est confusio duarum naturarum, nec est tantum nuda forma loquendi à pijs doctoribus prolata ad explicanda eiusmodi dicta scripturæ, qualia iam recitauimus, sed omnino vera & realis est communicatio, & in ecclesia talis forma sermonis siue prædicatio, in qua ostenditur, proprietatem vni naturæ conuenientem tribui personæ in concreto, & duas naturas in Christo sibi inuicem vnitas & copulatas esse, non tantum ita vt altera sit sociæ & separabilis, sed vt sicut duæ naturæ in vnâ personam conueniunt, ita & nomina & prædicata vtriusq; naturæ in nomine vnius personæ conueniant, & proprietates



tates vni naturæ conuenientes tribuantur  
personæ in concreto, idq; omne propter vni-  
onem hypostaticam, quia ideo prædicata re-  
uera communicantur, quia est vnum  
ἕν ἰσὺν καὶ ἕν ὄν.

### XIIII.

Neceſſe autem eſt, ſtatui realem com-  
municationem, ne Chriſtus homo, cum ve-  
rus Deus ſit, dicatur tantum Deus nuncu-  
patiuus (vt Arriani voluerunt) & ne  
Chriſtus Deus, cum vere pro peccatis no-  
ſtris paſſus ſit, non vere, ſed tantum ſermo-  
ne dicatur paſſus, quod Neſtoriani obtine-  
re conati ſunt, & ne diuinitas in Chriſto  
tantum per aſſiſtentiam vel ſocietatem, vt  
in Paulo, habitare fingatur

### XV.

Non autē ob hęc communicationem tollun-  
tur proprietates naturarum, quia communi-  
catio fit in cōcreto, in quo tota perſona intel-  
ligitur, quæ eſt Deus & Homo. Aliud  
enim



enim est dicere: Diuina natura est passa,  
quod dici non potest, aliud: Deus est passus  
Item, Natura humana creauit omnia &  
est ubiq;, quod etiam dici nequit: aliud:  
Christus homo creauit omnia, & est ubiq;.

### XVI.

In abstracto enim cuiusq; naturæ pro-  
prietates per se considerantur. In concreto  
verò fit communicatio proprietatum, & de  
tota persona differitur.

### XVII.

Nec improbamus vulgarem similitu-  
dinem, quæ congruit, *ἔκεί μὴ καὶ πάντα, καὶ αὐτὸ*  
*ῥῆν*, ut cum ad pauperem aliquem vir diues  
inquit: Tu pauper es, & animo, et corpore,  
natura & rebus: sed ecce assumo te in me-  
as ædes, et communico tibi meas opes, et pos-  
sessionem omnium meorum bonorum tibi  
tribuo, & in meum statum & gradum te  
colloco.

### XVIII



### XVIII.

Hac de causa vetustas ita locuta est:  
Quicquid conuenit filio Dei per naturam,  
hoc conuenit filio hominis per gratiam, id  
est, humanitas Christi non est conuersa in  
diuinitatem, & per se in abstracto non ha-  
bet proprietates diuinæ tantum naturæ con-  
uenientes, sed quicquid gloriæ, potentia,  
& maiestatis, & quas prærogatiuas præ  
omnibus alijs hominibus, humana natura in  
Christo habet, id omne habet ex gratia &  
potentia diuinitatis Christi, idq; propter  
hypoſtaticam unionem.

### XIX.

Hanc regulam constituunt & confir-  
mant exempla, vt quod Christus præter  
rerum seriem siue ordinem naturæ, ex vir-  
gine sine virili semine homo natus est,  
item, quod caro Christi est viuifica, & san-  
guis eius emundat nos ab omni iniquitate,  
item,



item, quod corpus Christi euanescit, reddi-  
tur inuisibile, ambulat super aquas, resur-  
git ex monumento, nec lapide nec sigillo mo-  
to, ingreditur ad discipulos clausis ianuis  
contra omnium corporum proprietates, as-  
cendit ad cælos, verè adest, exhibetur &  
sumitur in cœna iuxta institutionem Chri-  
sti, sedet ad dextram patris, item, conspici-  
tur ab omnibus hominibus in ultimo iudi-  
cio in illa forma, qua ascendit &c.

## XX.

Hæc & plura, imò infinita alia, præser-  
tim post glorificationem nature humane  
in Christo, nequaquam conueniunt huma-  
næ nature in abstracto consideratæ, & pla-  
nè sunt ἀδύνατα καὶ παράλογα. Conueniunt  
autem ei in concreto secundum communica-  
tionem idiomatum, in qua proprietates v-  
nius nature, alteri nature communicantur  
propter unionem hypostaticam, siue perso-  
nalem.

## XIX.



## XXI.

Hac de causa dici solet: Corpus Christi finitum est infinitæ potentia in vnitæte personæ, id est, non in abstracto, nec sua virtute, sed in concreto ex gratia & potentia eius, qui humanam naturam assumpsit, & sibi vniuit, vt sit Deus & homo in vna persona.

## XXII.

Huc pertinent sententiæ illæ: Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Item Ascendit ad cælos, sedet ad dextram patris: regnat diuina & equali τῆς πρὸς τὸ ἴσον, vt Basilus loquitur, potentia & maiestate Deus & homo cum Deo patre & Spiritu sancto. Heb: 4: Penetrauit cælos. Heb: 7. Sublimior cælis factus est. Ephe: 4: Ascendit super omnes cælos, vt omnia impleret, Mat. 11. Omne mihi datum est à patre. Psal: 8. Omnia subiecisti pedib. eius etc.

B

XXIII.



### XXIII.

Hæc enim omnia competunt Christo non solum ut Deo, verum etiam ut homini. Quatenus enim Deus est, habuit illam maiestatem ab æterno, nec unquam eam amisit, nec ei opus fuit vlla ascensione, & noua sessione ad dextram patris. Sed iam in eandem maiestatem collocatur etiam ut homo, ut Cyprianus loquitur inquiens: Ascendit ad cælos, non ubi verbum Deus antea non fuerat, sed ubi verbum caro factum non sedebat, & iam ut Deus & homo in æternum regnat, ubiq; est, corda, gemitus & preces suorum probat, videt, exaudit, & ut verbis Pauli summam totum negotium complectar, in Christo homine κατοικῆσαν τὸ πλῆρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, τὸν τῆσιν, ὁσιωδῶς, καὶ ὑποστατικῶς. siue personaliter Colof. 2.

### XXIII.

Ut autem totum hoc negotium (præsertim



tim quod ad humanam naturam in Christo  
attinet ) melius assequamur, & piè ac so-  
briè loquamur, sciendum est, quadruplici  
modo de humana natura in Christo sacras  
litteras loqui.

### XXV.

Primò in abstracto, scilicet quatenus  
Christus humanam naturam nobiscū com-  
munem habet, sed absq. omni peccato, per-  
fectus homo ex anima rationali, & huma-  
na carne subsistens.

### XXVI.

Et secundum hunc modum frater noster  
est, & caro & sanguis noster, quia factus  
est similis nobis per omnia, excepto peccato,  
& assumpsit corpus humanum cum illis  
proprietatibus, quæ ad conditionem & ve-  
ritatem humanæ naturæ pertinent.

### XXVII.

Secundum hanc rationem scriptum est,  
Philip. 3. sanctorum corpora  $\sigma\upsilon\mu\mu\omicron\varsigma\phi\alpha$  fore  
glorioso



glorioso corpori Christi, id est, omni peccato caritura esse, & propterea etiam omni corruptione, morte & fine, & in æternum victura esse, plena integritatis & letitiæ. Item 1. Iohan: 3. cum apparuerit similes ei erimus.

### XXVIII.

Secundò in concreto loquitur sacra scriptura de humana natura Christi, non tantum quatenus illa nobiscum communis est, siue in abstracto, sed quatenus assumpta est à diuinitate Christi, & diuinæ nature ita vnita, vt cum ea vnā personam constituat, vt Matth. 16. Filius hominis est filius Dei viui. Rom: 5: In sanguine ipsius iustificati. Iohan. 6. Caro mea datur pro mundi vita.

### XXIX.

Tertiò loquitur sacra scriptura de passionibus nature humanæ in Christo, ante glorificationem,



rificationem, quarum aliqua nobiscum sunt  
communes, ut tristari, flere, Comisereri,  
(quamuis & haec longe praestantiores affe-  
ctiones in Christo fuerint, quam vel cogita-  
re possumus, & vel eae in vllis alijs homini-  
bus fuerint) edere, bibere, dormire, pati,  
mori &c. aliqua singulares, ut sudor san-  
guineus, siue ἁγόνιοι, fluxio sanguinis & a-  
qua ex latere Christi mortui, ambulatio su-  
per aquas, euanescere &c.

### XXX.

In hac Christi humilitate, cum videlicet  
ipse in terris visibiliter versaretur, etsi nul-  
la adeo appareret prerogatiua praenostri-  
corporibus, sed et diuinitas quasi quiescere  
videretur, & assumptae naturae dignitas  
non emineret, perinde ac cum Sol nube tegi-  
tur, ut radios spargere nequeat, tamen in-  
terdum Christus non dissimulauit suam  
maiestatem & potentiam, ut cum 40. die-

B 3

bis



bus & noctibus ieiunavit, voce & tactu  
mortuos suscitavit, & se coram discipulis  
cœlesti gloria transformavit, et faciem, So  
lis instar splendentem exhibuit &c.

### XXXI.

Quartò loquitur scriptura de humana  
natura Christi glorificata, id est, quæ in cœ  
lum assumpta, & ad dextram Dei collocata  
est, nec amplius patitur, nec moritur, sed  
vivit in æternum, estq; exaltata ad dex  
tram Ephes. i. virtutis & maiestatis Dei  
super omnes Angelos, potestates & virtu  
tes, & super omne nomen, quod nominatur  
non solum in hoc, sed & in futuro seculo,  
longè supra & extra ordinem aliarum crea  
turarum.

### XXXII.

Non quidem Christus secundum huma  
nam naturam suam æqualis est Deo, quia  
manifestè inquit Paulus i. Cor: ii: Caput  
Christi



Christi Deus: & in Athanasiano symbolo  
dicimus: æqualis patri secundum diuinita-  
tem, minor patre secundum humanitatem:  
sed tamen respectu omnium aliarum crea-  
turarum, Christus etiam secundum huma-  
nam suam naturam caput est virtutum, &  
dominationum, et habet potestatem & po-  
tentiam in omnes creaturas in cælo et in ter-  
ra, Matth. 28, & vitam à patre sibi datam  
in semetipso habet, Iohan: 5. idq; omne non  
ex natura & conditione humanitatis, sed  
ex gratia & potentia eius, qui humanam  
naturam sibi vniuit, in cælum euexit &  
glorificauit.

### XXXIII.

Hic autem quæri solet: An Christus se-  
cundum humanam suam naturam, quæ su-  
pra omnes cælos exaltata est, omnipotens et  
ubiq; sit, sicut est secundum diuinam suam  
naturam.

B 4

XXXIII.



### XXXIII.

Etsi autem quæstionum hodie, nec modus nec finis est, præsertim in rebus supra captum omnium hominum positis, nec facile homines varijs opinionibus ludentes, saniori responso acquiescunt, tamen simplicitati, & veritati, quæ in verbo Dei expressè nobis ostenditur, studere debemus, quicquid sanè alij iudicent, iuxta illud: Sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Item, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

### XXXV.

Respondemus autem, si quæstio est de sola natura humana, quæ est in Christo, etsi ea, respectu creaturarum, maximam obtineat potentiam, maiorem omnium Angelorum & hominum viribus, tamen ut ostensum



ostensum est supra, non est facta æqualis  
Deo patri, nec est ipsa omnipotens diuini-  
tas, sed ut à melle ea, quæ melli immiscen-  
tur, dulcedinem capiunt, (hac enim liceat  
similitudine uti, quam Cyrillus usurpauit)  
ita & humana natura à diuina natura, cui  
vnita est, accipit potentiam maiorem po-  
tentia creaturarum, minorem verò omnipo-  
tentia Dei.

### XXXVI.

Si autem quæstio est, de Christo homine,  
id est, de persona in concreto, sine exceptio-  
ne dicimus: Christus homo est omnipotens,  
creauit cælum & terram, omnia sustentat,  
est vbiq̄, καὶ ὅπου ὄσσης et ἀπεργασάμενος.

### XXXVII.

In tali enim locutione retinemus integram  
personam, & non de natura & forma per  
se nudè & seorsim considerata differimus,  
sed ipsum totum subiectum complectimur

B 5

cum



cum naturis & formis, ut, homo non significat humanam naturam tantum, sed totū ὑφίσταμενον in quo anima & corpus sunt. Et Deus, non significat tantum diuinam naturam, sed ὑπὸς αἰῶν certam, siue personam, quæ est Deus, vel in qua est æterna & omnipotens diuinitas.

### XX XVIII.

Quare aliud est: humana natura, ut cum dicimus: Humana natura non est æterna, nec est ubiq;: hîc enim in abstracto natura seorsim consideratur: aliud verò est cum dicimus: Christus homo est æternus & ubiq;, Filius Mariæ est creator, & omnipotens, & scrutator cordium. Item, aliud est, Diuinitas est nata, passa, mortua, edit, bibit, &c. quod in abstracto dici non potest: aliud verò est, quod verè & rectè dicimus: Deus est natus, passus, crucifixus, mortuus, edit, bibit, fatigatus est, tristatus est, Item verbum



bum est homo, Deus est homo, Christus est  
homo, Christus est Deus, Deus acquisiuit  
sibi ecclesiam suo sanguine &c.

XXXIX.

Hæ propositiones in concreto sunt ve-  
ræ, quia naturæ, diuina & humana, vnitæ  
sunt vnione personali, ita; vt quando Chri-  
stum nominamus, statim Deum & homi-  
nem, Emanuelem <sup>κατὰ θεὸν καὶ κατὰ</sup> intelligamus.

XL.

Hæc vt sobriè, piè, & humiliter tracten-  
tur, & non fiat naturarum confusio, nec  
etiam diuulsio integræ personæ, ideo vsita-  
tè, & quidem more ipsius scripturæ addi-  
tur distinctio per particulam, κατὰ vt: I-  
dem est Filius Dei & Filius hominis, sed  
filius Dei secundum diuinitatem, filius ho-  
minis secundum humanitatem. Item, Filius  
Dei natus est ex semine David secundum  
carnem, Rom:1 et 9. Christus passus est car-

ne



ne. i Pet: 4. Et rectè Augustinus inquit:  
Aliud Dei Filius, aliud hominis filius, sed  
non alius. Et Ambrosius: Non alter ex pa-  
tre, alter ex virgine, sed idem aliter ex pa-  
tre, aliter ex virgine.

### XLI.

Ac etsi interdum particula illa distin-  
ctiua expressè non ponitur, tamen necessa-  
riò subintelligitur, vt cū Christus inquit,  
Priusquam Abraham esset, Ego sum, sci-  
licet, secundum diuinam naturam. Item,  
Dominum gloriæ crucifixerunt, scilicet se-  
cundum humanitatem passus & crucifixus  
est Christus.

### XLII.

Hac de causa in eandem sententiam dici  
solet, Christus homo est omnipotens, eter-  
nus & ubiq;, Christus Deus est passus &  
mortuº, salua vtriusq; naturæ proprietate.

### XLIII.



### XLIII.

Et pertinent huc regulæ quatuor, quæ  
vniuerso huic negotio lucem adferunt .i.  
Omnis spiritus soluens Christum non est ex  
Deo. Retineamus igitur integram perso-  
nam, quæ est Deus & homo, & non facia-  
mus naturarum separationem. ii. Communi-  
catio idiomatum fit in concreto, non in ab-  
stracto κοινὰ γὰρ γέγονε τὰ τῶν προσώπων τῶν  
φύσεων ἰδίαι διὰ τὴν ἔνωσιν inquit Theodore-  
tus. iii. Nomina concreta designant integ-  
ram personam, subsistentem in vtraq; natu-  
ra, non significant alterutram naturam seor-  
sim ratione aliqua consideratam. ii. Actio-  
nes & passionēs non sunt naturarum, sed  
sunt personæ.

### XLIIII.

Priores tres regulæ ex illis, quæ hacten-  
us dicta sunt, facile intelligi possunt. Sed  
quartæ regulæ, quæ à Damasceno traditur



Ufus latè patet, & est ea veluti explicatio  
distinctionis, quam fieri diximus per parti-  
culam κατὰ.

#### XLV.

Cum enim dicimus: Filus Dei est passus,  
crucifixus & mortuus, secundum carnem,  
siue secundum humanam naturam, non pro-  
pterea excludimus diuinitatem, quasi hæc  
in passione fuerit prorsus ociosa, & nihil  
egerit, verum ostendimus in illa carne fa-  
ctam esse lacerationem, cui carni diuinitas  
personali vnione copulata est, & simul  
ostendimus, naturam humanam diuinitatis  
potentia vicisse dolores, quos ipsa vincere  
non potuisset.

#### XLVI.

Quare etsi diuinitas natura sua nec pati-  
tur nec moritur, tamen passionem & mor-  
tem



tem Christi ita sibi communem facit, ut  
propter hypostaticam unionem passioni &  
morti personaliter adsit, & non aliter affi-  
ciatur, (ut ita loquar) ac si ipsa pateretur,  
& moreretur, id est, ut Cyrillus loquitur,  
ὁ λόγος patitur & moritur impassibiliter  
& immortaliter.

### XLVII.

Cum igitur non simus corruptibilibus re-  
dempti, nec passio Christi tantum relatione  
quadam ad diuinam naturam pertineat,  
non dicimus in abstracto: humanam natu-  
ram in Christo esse passam & mortuam,  
sed in concreto formam loquendi in symbo-  
lis propositam retinemus: Qui descendit de  
cælis, coessentialis patri, crucifixus est etiã  
pro nobis. Et in Esaia cap: 50. eodem modo  
Christus ipse loquitur, Corpus meum dedi  
percutientibus, & genas meas vellenti-  
bus, faciem meam non auerti à conspuenti-  
bus



bus me. Et in Apocalypsi scriptum est:  
Agnus ab initio occisus est.

XLVIII.

Hinc Epiphanius inquit: Vna erant di-  
uinitas & humanitas, quando Christus pa-  
tiebatur in carne, vt iustificationem non in  
carne solum habeamus, sed & in diuinitate  
& carne κατ' ἀμφότερον nobis salus continge-  
ret etc. Hæc de sententia quartæ regulæ  
sufficiant.

XLIX.

Constat autem ex his, quomodo in con-  
creto rectè loqui possimus, vt Christum  
ἀσύγχυτον καὶ ἀτρέπτον καὶ ἀδιάρητον reti-  
neamus, quod certe alia ratione fieri in hac  
vita non poterit, nisi ex sacris literis do-  
ctrinam de communicatione idiomatum  
haustam, dextrè et piè explicemus.

L.

Meminimus aliquando quæri, cur dice-  
re



re simpliciter et possimus & debeamus: Caro Christi est viuifica: & eodem planè modo dicere non possimus: Caro Christi, vel humana natura, est æterna, omnipotens, et est vbiq;, cum tamen viuificum esse tam sit proprium solius nature diuinæ, quam est omnipotentia.

### L I.

Discrimen autem tenendum est inter substantiam & virtutem. Esse æternum, omnipotens  $\omega\kappa\alpha\pi\epsilon\sigma\iota\gamma\sigma\alpha\pi\iota\omicron\nu$  ipsa sunt velut substantia diuinitatis. Viuificum autem esse, est virtutis & potentie, respectu rerum creatarum, quæ etiamsi non essent, nihil tamen diuinitati decederet.

### L II.

Quare etsi rectè & piè contra Nestorium & similes dicimus: Caro Christi est viuifica & adoranda (dedit enim pater Filio vitam habere in semetipso, Iohan. 5.) ta-

C

men



men eodem modo statim inferre & conclu-  
dere non licet: Caro Christi est aeterna, ca-  
ret omni circumscriptione, et est ubiq<sup>3</sup>, sicut  
diuinitas per se.

LIII.

In abstracto retinemus idiomata & con-  
ditiones naturae humanae, nec dicimus: Hu-  
mana natura vel corpus humanum est o-  
mnipotens, & est ubiq<sup>3</sup>. In concreto vero  
dicimus: Christus homo est omnipotens, &  
est ubiq<sup>3</sup>, *ἢ ἀπείρηστον*, & ubicunq<sup>3</sup>  
Christus est (est autem ubiq<sup>3</sup>) ibi est ipse  
Deus & homo, saluis ubiq<sup>3</sup> proprietatibus  
naturae utriusq<sup>3</sup>: quod etiamsi quomodo fie-  
ri possit, in hac vita & imbecillitate asse-  
qui nequimus, tamē subijcimus rationis no-  
strae captū mysterio imperscrutabili, et ado-  
ramus Christum Deum et hominem nos ex-  
audientē, et nobis ubiq<sup>3</sup> praesentem, sine cō-  
fusione naturarū, et sine diuulsione personae.

LIIII.



LIIII.

Extat alicubi hæc phrasis: Corpus Christi est ubiq<sup>3</sup>, quam Lutherus cum usurparet, rationem sui consilij exposuit, videlicet, se diuinæ sapientiæ & potentie reseruari modos nobis ignotos, quibus efficere Deus potest, vt Christus corpore suo & in cælo & in cæna, & alibi sit.

LV.

Habet enim humana natura in Christo sedente ad dextram patris, immensas prærogatiuas præ omnibus alijs corporib<sup>9</sup>, imò potentior est omnibus creaturis, vt et supra affirmauimus.

LVI.

Quare etsi non amittit idiomata sibi congruentia, ut esse περιγυραπνον σώματι vt veteres locuti sunt, sed manet corpus ἄρα καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν tamen nequaquam temeraria insulsitate & audacia asserendum

C 2

est,



est, ita alligatum esse Christum suo corpore ad certum locum cœli, ut etiamsi velit, alibi esse non possit.

LVII.

Est Christus  $\pi\epsilon\gamma\iota\gamma\sigma\alpha\mu\epsilon\sigma\delta\prime\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota$  ratione humanæ naturæ siue corporis humani, quod per se ex sui natura & conditione necesse est esse finitum. Sed cum corpus idem diuinitati vnione hypostatica inseparabiliter vnitum sit, & Christus sit omnipotens, & humana eius natura multas habeat immensas prærogatiuas præ alijs corporibus humanis, sitq; omnibus creaturis potentior propter vnionem personalem, meritò hic cogitationibus nostris & linguæ temerariæ frenum inijcimus, & cum scriptura aliquid de corpore Christi affirmat, quod proprietates humanæ naturæ excedere & superare intelligimus, modestia & humilitate Christiana reuerenter illud accipimus, & credimus,



dimus, quicquid sanè obstare videatur, scientes, nos profunditatem diuitiarum & omnipotentiae Dei exhaurire & perdiscere in hac vita non posse, & quidem maximum eorum, quæ nunc scimus, esse minimum eorum, quæ discenda nobis restant.

LVIII.

Has igitur duas regulas meminisse debemus: Prior est: Christus secundum suam potentiam diuinam potest esse vbiq<sup>3</sup>, et corpore etiam suo in omnibus locis, siue, vbiq<sup>3</sup> vult esse, manente tamen salua, & inuiolata, non expansa, non diffusa, non ducta in infinitum, humana eius natura.

LIX.

Huius regulæ ratio est omnipotentia Christi Dei. Si enim quæeratur, quomodo hoc fieri possit, quæeratur vicissim, quomodo fiat, quod Deus sit omnipotens.

C 3

LX.



LX.

Cum autem à posse ad inesse argumentari, & ex omnipotentia diuina, & ex prerogatiua humane nature in Christo, quasuis consequentias priuato arbitrio texere non velimus, ideo addimus posteriorem regulam, quæ hæc est: Verè ibi est corpus Christi, vbicumq; Christus illud esse vult, & quocumq; illud expresso verbo suo alligauit, licet id fiat contra omnes omnium corporum humanorum proprietates.

LXI.

Rectissimè Cyrillus dixit: Unigeniti Dei proprium corpus existens, omnia humana transcendit.

LXII.

Quare si iam doctrinæ de proprietatibus humane nature in abstracto consideratæ obstare aliquid videtur, quod expressè tamen in verbo Dei continetur, nostrum est,  
nature



naturæ ordinem & cursum, non quidem tollere, sed seponere, & speculationes nostras contrahere, & humiliter & reuerenter verbo Dei omnem rationem nostram non abolitam, sed certis limitibus à Deo ipso constitutis inclusam, subijcere, & omnipotentiam Dei admirari, venerari, & amplecti.

L XIII.

Exemplum sit articulus de cœna. Idioma omnium corporum humanorum est, non posse nisi in vno tantum loco esse. Christus verò disertis verbis affirmat, corpus & sanguinem suum in cœna adesse, exhiberi, & accipi.

L XIII.

Hic quid statuendum et credendum est? Si idioma corporis humani respiciamus, corpus Christi non poterit, nisi in vno loco cœli esse. Si uerò vnionem hypostaticam et



omnipotentia, veritatem et gloriam Christi consideremus, et fidei ac consolationis nostrae rationem habeamus, nihil amplius erit quod scrupulum nobis iniicere possit.

LXV.

Nec verò arbitrandum est, veritati humanæ naturæ in Christo derogari, quando verbum Dei aliquid de corpore Christi prædicat, quod cum idiomatis nostrorum corporum non conuenit.

LXVI.

Etsi autem hoc totum in æterna et cœlesti academia integrè discemus, percipiemus et videbimus, tamen simplicioribus exemplum, quod de ferro ignito proponi solet, non potest inutile esse.

LXVII.

Habet ferrum suas proprietates sua natura, nec lucet, necurit. Ex ignitione autem lucet eturit, et tamen est manetque fer-

rum



rum. Et habent nostra corpora animata suas proprietates, quas per se extra unionem cum anima non habent.

### LXVIII.

Hæc de idiomatis naturarum in Christo breuiter proponere voluimus, alias dicturi de appellationibus officiorum, quæ semper competunt toti personæ, vt sunt nomina, quibus opera redemptionis enunciantur, vt Redemptor, iustificator, mediator, saluator, contritor capitis serpentini, Rex, sacerdos, pastor, iudex viuorum & mortuorum &c. quæ omnia ad vtramq; naturam referenda sunt.

### LXIX.

Oramus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt in his quæstionum multipliceum labyrinthis, & animorum exaceruationibus, multorumq; furoribus, et magnorum tumultuum cum in eccle-

C 5

sia



sia tum in imperio politico periculis & me-  
tu, nobis clementer & potenter adsit, &  
mentes nostras & corda nostra Spiritu suo  
sancto regat, vt simus & maneamus tem-  
pla Dei, nec in errores et in scelera ruamus,  
nec à veritate declinemus, sed in integrita-  
te & simplicitate veræ fidei eum agnosca-  
mus, colamus, timeamus, inuocemus, ei obe-  
diamus & seruiamus, & aduentum Filij  
Dei, militantes bonam militiam, et retinen-  
tes fidem & bonam conscientiam, expe-  
ctemus, nosq; ad suscipiendum ipsum hilari  
& humili conuentu præparemus, eumq;  
videamus propitium in omni  
eternitate. Amen.

De



DE APPELLATIONIBVS OFFICIO RVM, QUAE PERSONAE TRIBUUNTUR, SECUNDUM VTRAMQUE NATURAM.



*M*agnū est discrimen inter appellationes, quae naturarū proprietates significant, & inter appellationes officiorum. Appellationes enim naturarum continent idiomata alterius naturae, quando etiam extra vñionem considerantur. Et quia naturae cum suis proprietatibus non sunt confusae, tribuuntur personae non secundum vtramque, sed secundum illam naturam, cuius sunt propria, vt, Deus, omnipotens, immortalis, sunt appellationes ad naturam diuinam referendae. Non enim



enim sunt idiomata naturæ humanæ in abstracto. Homo, passus, uulneratus, mortuus, sunt idiomata naturæ humanæ. Nomina autē officiorum competunt toti personæ secundum utramq; naturam, & nominantur idiomata non naturæ alicuius, sed personæ, quia tribuuntur personæ secundum utramq; naturam, ut esse redemptorem, iustificatorem, saluatorem, regem, sacerdotem, uiuificantem, propiciatorem, pastorem: Sint ergo hæ regulæ in promptu:

I.

Totum mysterium redemptionis & officia Messia saluantis genus humanum pertinent ad totam personam secundum utramq; naturam, nō secundum alterutram naturam diuinam, vel humanam.

II.

Unio duarum naturarum in Christo facta est propter officium redemptionis generis  
ris



ris humani. Ideò officiū redemptionis conuenit personæ non secundum alteram tantum naturam, sed secundum vtramq̃.

### III.

Sic ergò dicimus: Christus est redemptor, iustificator, saluator, mediator, &c. secundum vtramq̃ naturam, quia vna natura agit cum communicatione alterius, & persona habet actiones in vtraq̃ natura simul.

### IIII.

Adoramus Christum Deum & hominem vna latria, mediatorem, redemptorem, saluatorem. Nam hæc officia conueniunt personæ secundum vtramq̃ naturam. Inuocatio autem intuetur personam & beneficia Christi, & non separat humanam naturam à persona, quam inuocat.

### V.

Mediator, rex, saluator, non tantum intelliguntur de natura patiente & moriente,

te,



te, sed de persona victrice, quam compræ-  
hendit promissio: Semen mulieris conculca-  
bit caput serpentis.

His regulis observatis facilis est dijudi-  
catio de appellationibus officiorum, quæ  
competunt personæ secundum utramque na-  
turam. Theodoretus in dialogo suo qui  
ἀσύγχυτος inscribitur, citat dictum Irenæi  
memoria dignum: ἔδθε τὸν μεσιτῶ θεῶ τε  
καὶ ἀνθρώπου διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρου  
δικαιοσύνης εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν ἵδου  
ἀμφοτέρους συναγαγεῖν καὶ θεῷ μὲν παραστῆσαι  
τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν θεόν.

Et Paulò antè inquit ipse Theodoretus:  
Αὐτὸ τὸ μεσιτῶ ὄνομα, θεότητος ἐνταῦθα μὲν  
ἀνθρωπότητος ὑπάρχει δηλωτικόν.

Quod autem obijcitur: Nemo est media-  
tor sui ipsius, vel deprecator apud seipsum,  
responsio evidens est, esse hoc verum eodem  
respectu, & ubi unica persona est. Sed hic  
discerni oportet inter mittentem divinita-  
tem,



tem, & filium missum. Filius enim quatenus est missus, est mediator apud mittentem. Et tamen Filius est  $\delta\mu\omicron\upsilon\sigma\iota\omicron\varsigma$  eterno Patri, & equalis potentia; manet autem personarum distinctio. Nam filius assumpsit humanam naturam, non Pater &c.

Deinde etsi saluatio est totius trinitatis, tamen cuiusq; personae proprietas retinenda est quia Pater saluat & viuificat per Filium. Vnde Augustinus inquit: Agit Filius non à se, sed per se.

Hæc ex pædagogia nostra de appellationibus officiorum, quæ personæ secundum vtramq; naturam tribuuntur, adijcere visum fuit. Agitur autē de his alibi copiosus. Et extat perspicua responsio D. Philippi Præceptoris ad Stanca-ri controuersias. Sed de his satis nunc dictum sit.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a medieval script and is mostly obscured by the paper's texture and the bleed-through.













Aug IC 223

ULB Halle


3

002 491 397




56









B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

POSITIONES  
DE PROPRIETA-  
TIBVS DVARVM NATV-  
RARVM IN CHRISTO FILIO DEI

& Mariæ virginis: & de commu-  
nicatione idiomatum.

Nicolaus Selneccerus:

M. D. LXVI.



Clariss. v. d. m.  
Sebastianus Theodorici  
Vinspino: dno,  
in computari 5.  
colombis.

5

25